



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Instructio practica ...**

Institutiones Theologiæ Mysticæ, Seu Facilem & practicum modum  
Exercitia Spiritualia S.P. Ignatii Loyolae per octiduum faciendi - item  
triduanam recollectionem fructosè instituendi complectens, Et  
Sacerdotibus Præcipuè, aut de Sacerdotali Statu suscipiendo  
deliberantibus accomodata, Una cum ...

**Lohner, Tobias**

**Dilingæ, 1680**

Membrum IV. De vocali Oratione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48834](#)

20 *De Natura Exercitiorum,*  
gratia DEO debitae persolvi, & confirmatio in incepto hu-  
militate peti potest.

## M E M B R U M I V.

### *De Vocali Oratione.*

#### *Natura & Scopus.*

I. Etiam hæc non est omittenda Exercitiorum tempo-  
re, quin imò tantò majori cum devotione peragenda est,  
quando melius ad illam animus per internam & externam  
Collectionem est dispositus.

II. Triplex autem est Orationis vocalis Scopus, quo-  
rum primus est, laudare & benedicere DEVUM & Sanctos ejus.  
Secundus, varias à DEO & Sanctis gratias petere. Tertius,  
varios virtutum actus, sed Gratulationis maximè & Amoris;  
Timoris & Doloris ob peccata admissa, Fiducia in varijs pe-  
titionibus proponendis, Desiderij respectu cœlestium bono-  
rum, & Imitationis in variatum virtutum, præcipue amoris  
& signationis studio elicere. Unde oratio hæc vocalis bre-  
viter sic definiri potest: Est pia & affectuosa cum DEO col-  
locutio; quando enim legis, tibi loquitur DEVS: quando  
oras, tu cum DEO loqueris; inquit S. Augustinus in Ps. 85.

#### *Æstimatio.*

Ad hanc contipendam nihil æquè proderit, quam si be-  
ne ponderetur, orationem vocalem esse colloquium cum  
DEO & Sanctis, in quo homo orans suum erga DEVUM &  
Sanctos, seipsum, & Proximos, tam viventes, quam defun-  
ctos amore in præclarè ostendere, & eorum vicissim amorem,  
benevolentiam, & beneficentiam copiosè promereri possit:  
unde præclarè S. Chrysostomus l. 2. de orando DEO ait:  
*Quanta dignitatis sit, hominem cum DEO miscere sermo-  
nem, neminem latet. Ceterum eam dignitatem ratione  
consequi, nemo prossus valeat; quandoquidem hic honor  
etiam Angelorum superat Majestatem, quod ipsi probè intel-  
ligentes, apud Prophetas describuntur omnes multo cum  
tremore, laudes & cultum DEO offerentes, facies quidem  
ac pedes ob ingentem reverentiam regentes, volatu ver-  
dum non valent quieti manere, magnum tremorem decla-  
rantes.*

rentes. Sed & S. Climacus grad. 28. vocat Orationem Matrem, Reginam, Cibum & fontem virtutum, gratiarum misericordiam, & profectum invisibilem. Unde & ipse Christus S. Catharinæ Senensi Dial. c. 66. dixit: *Noveris, Filia charissima, quod in Oratione humili, continua, fidelis, cum vera perseverantia lucratur anima perfectionem, & omnem virtutem.*

**Praxis.**

I. Hæc in eo consistit, ut, quemadmodum Sacerdotes suum Officium diurnum, ita ij, qui Sacerdotes non sunt, Officium saltem B. Virginis, si fieri commodè potest, & quidem distinctis per intervalla horis, attente, reverenter ac devotè recitent.

II. Deinde, ut etiam Rosarium seu Corona B. Virginis devotè quotidie percurratur; cum enim B. Virgo, ut aliquando S. Teresiæ revelatum est, Exercitiorum horum quodammodo Autrix & Fundatrix sit, eaque S. Ignatium docuerit, atque adeò singulari studio ad illorum fructuosum usum haud dubiè cooperatura sit, æquum sanè videtur, ut benevolentiam illius is, qui Exercitia hæc obit, specialibus obseruijs, inter quæ Rosarij recitatio non postremum est, demereri studeat.

III. Denique ut, si occasio ferat, interdiu SS. Eucharistia Sacramentum visitare, & devoto Hymno vel alia simili oratione venerari & invocare non omittat; dici enim vix potest, quantum ad tenerum devotionis internæ sensum excitandum hæc DEI incarnati corporalis præsentia fortiter menti impressa conducat; unde meritò Directores horum Exercitiorum magnopere semper commendant frequentiorem hoc tempore SS. Sacramenti visitationem.

**MEMBRUM V.***De Lectione Spirituali.***Natura & Scopus.**

I. Cum, ut superiore membro vidimus, Lectio Spiritualis sit quasi auditio DEI loquentis, & quasi exhortatio quæpiam privata ab eodem ad nos facta facile colligitur, quis Scopus debeat esse præfixus huic Lectioni, scilicet, ut